

Initium
ducit à
Carolo
M.

Primo E-
piscopa-
rium in
Saxonia
condito-
re.
*Hieron. lib.
contra
Lucif.
Epsphan.*

Hathumaro, primo Paderbornensium Episcopo, ad nostra usque tempora scripturam deduci; qua in re prima gloria Carolo M. debetur. Multa illæ per omnem vitam bella gessit adversus Longobardos, Saracenos, Hunnos, aliasque seu barbaras seu rebelles gentes; at verò uti nullum ab illo gestum diuturnius atque atrocius, ita nullum ab illo sumptum est constantius atque alacrius quam Saxonicum; propterea quòd Saxoniam omnem non tam regno Francico, quam Christianæ religioni aggregandam suscepisset; ut gentem natalis Francorum soli à servitute demonum in libertatem Christianæ legis, & viam salutis assereret. Inde quoties Romam profectus est, Saxoniam Christo & Divo Petro ad altare ex conceptis votis obtulit; ut facrum hoc bellum potius votivumque quam profanum dixeris. Inde cetera fere bella filijs ac ducibus commissa; Saxonicum ipse suis auspicijs suaque præsentia administravit. Ac toties per triginta tres annos, ac supra etiam, ad senectutem usque armatus Saxoniam ingressus est, donec bellicosam gentem, toties perfidam ac rebellem, Francico imperio victor submitteret. Voti exinde compos, nihil sollicitius ac sanctius habuit, quam ut omnem terram eorum, antiquo Romanorum more, in provincias redigeret, et certo limite descriptam determinatamque inter Episcopos divideret; quemadmodum id Carolus in diplomate Bremensis & Verdensis Ecclesiæ iterato profiteretur. Quod sane omnium, quæ per Saxoniam gessit, pulcherrimum operum ejus fuit, & immortalis annalium memoriâ dignum. Præclare nimirum intelligebat Rex, quod cum D. Hieronymo profiteretur omnes sanæ mentis Christiani, *Ecclesiam esse non posse, quæ Sacerdotes non habeat: & Sacerdotes creari non posse, ubi Episcopi non sint, Patrum ac Sacerdotum generatores.* Qua veritatis voce libere olim prolocutus Cyprianus, Ecclesiam dixit esse in Episcopo, & Episcopum in Ecclesia, omnemque religionis structuram in sacerdotio tanquam fundamento consistere. Quamobrem sapientissimo Regi prima & salutaris cura fuit, universam Saxoniam in Episcoporum dioceses partiri, & cuique de Episcopis prospicere. Id verò cum totum sui juris non esse probè sciret, & grex recens ad ovile Christi attractus pastores exposceret; aut Hadriani summi Pontificis, aut legati Apostolici (qui plerumque Carolo aderat) aut Metropolitanis auctoritatem sacram implorabat, quorum operâ idoneis quæque dioceses Episcopis distributæ sunt. Visaque est non minus Saxonia, quam Regnum Franciæ, & omnes orbis Christiani provinciæ ac Regna, jurisdictione sacra inter Episcopos divisâ, in florentissimam quoque Ecclesiæ formam consurgere. Ac ne Hierarchiam, quæ in Ecclesia ordinatissimâ semper fuit, desideres, Episcopos Saxoniam partim Moguntino, partim Coloniensi Archiepiscopis subjecit. Quo veteri instituto atque ordine etiamnum ad suos hosce Metropolitanos Carolini sese Episcopi referunt.

Descriptis